



R. P. Thomæ Tamburini Ë Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Peccet ne operans ex conscientia dubia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

voti commutatione posita *num. 15*. quia probabilitas immediatè à nostra electione dependet; nequaquam licebit.

19. Secunda Regula. Quando probabilitas à nobis immediatè non pendet, in eo tantummodo casu nequit variari in eadem occasione sententia, quod propter aliquam circumstantiam apparet ratio, quæ reddat huc, & nunc alterutram prædictè improbabilem, in aliis enim casibus poterit: id ut facilius intelligas, meminissem ex supradictis §. 3. n. 12. debes, aliquid esse speculativè probabile: quod in particulari hic, & nunc, seu prædictè propter aliquam supervenientem rationem est improbabile. Probabile est, v. g. valde conferti Baptismum per illam formam: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque*, at proximè propter illam rationem, cum certum possis Sacramentum conferre proximo conferas quod aliquam continet incertitudinis formidinem, omnes *supra*, §. 4. n. 10. conclusimus, proximè & in ordine ad proximum non esse sic Baptismum conferendum. His in memoriam redactis, exemplo hæc secunda Regula probabitur simul, & fiet manifesta. Probabile est votum, v. g. m. i. jejuniij posse authoritate propria in opus æquale à me commutari, probabile item non posse: atque hæc ex natura, & circumstantiis voti, non verò ex nostra libertate.

20. Dico, in hoc casu, posito quod elegerim sequi opinionem affirmantem, posse jejuniij à me commutari, amplius non licere mihi in eadem occasione sequi negativam, quæ asserit non posse, quia nunc adest clara circumstantia quæ reddit hic: & nunc improbabilem hanc negativam: circumstantia autem est obligatio certa, quam ego habeo servandi vel ipsam votum, vel id, in quod legitime sit commutatum, quæ obligatio cluderetur, si fieri illa variatio opinionum in eadem occasione posset. Pari modo si ego centum tibi certò debeo, non possum per mutationem opinionum quantumcunque alias probabilium, ea tibi denegare, quia hæc particularis circumstantia certi debiti, id omnino modo dicto, prohibet.

21. Ex his habes, quia prima regula officit sex primis incommodis relatis *n. 6*. & secunda officit octavo, & nono *n. 13*. & 14. allatis, ideo negamus in omnibus his novem, & similibus casibus excipi sine peccato posse in eadem occasione mutationem opinionum: At verò quia in casibus relatis *n. 12*. & 13. ibi referuntur, atque in similibus, nova ex his regulis abstat, ideo tunc, etiam in eadem occasione, materiaque licitam esse hujusmodi mutationem concedimus.

22. Denique in casu relato *num. 15*. de Testamento minus solemnem, dico ibi obitare secundam Regulam; nam posito quod acceptas tanquam validum illud testamentum, obligaris acceptare omnia quæ in eo continentur, ergo posita tua acceptatione ponitur obstaculum, ne aliam optionem amplecti valeas. Antecedens manifestè probatur, quia illud testamentum se habet quo ad omnes sui partes per modum unitus & indivisibiliter ratione unius ultimæ voluntatis Testatoris cadentis super hereditatem, & ei hereditati connexa legata. Vel ergo juxta forum externum rejiciatur totum Testamentum, vel si à te in foro interno recipitur, recipi totum necesse est, secus eadem una voluntas Testatoris à te recipitur, & non recipitur, quo nil absurdius.

Vnde habes legata prædicta legatariis omnino à te deberi, siquidem neque ea tibi potes retinere, nec Hæredi ab intestato dare, nec Testamentum à te acceptatum, quod, ut probavimus, quo ad omnes sui partes acceptari à te debet, legatariis esse danda disponit.

23. Scio Thomam Sanchez in *conf. 4. c. 1. d. 14. n. 11* sic docere: *Nota quod hæres in minus solemnem testamentum non potest retinere hereditatem, & nolle solvere legata, quasi unus una opinione, quo ad retinendam hereditatem, & utens alia quo ad solvenda legata. Ratio est, quia sententia quæ dicit non deberi ea legata, non ea, applicat sibi, sed*

*hæredi ab intestato. Item, quia ubi semel vult ut illo testamento tanquam valido, retineat omnia ejus legata implere, scilicet vel danda legatariis vel hæredi ab intestato. Scio inquam hæc, & inter se quidem non dissentio, sed non approbo hoc positum: Vel dando hæredi ab intestato, nec enim id non approbare posse facit ratio modò dicta, quoniam si Sanchez attulisset, is enim solus dixit: *Ubi semel vult illud Testamentum, teneatur omnia ejus legata implere, nec hujus dicti rationem attulit* quam, inquam, si attulisset, advertisset ea legata non posse dari hæredi ab intestato & colligitur ex ipsa doctrina Sanchez, nam si eo ipso, utens illo testamento teneatur implere omnia legata, quo modo poterit ea negare legatariis, & dare hæredi? sanè si hoc posset, convinceretur non teneri ea legata implere.*

§. VI. De Conscientia dubia.

1. **R**ecole quæ dicta sunt §. 1. *num. 5*. ut quid sit conscientia dubia, nescias, ne scilicet ea, quæ hic dicuntur, cum conscientia probabili, quæ hæctenus explicata est, confundantur.

Secundæ operans ex conscientia dubia.

2. Peccare secundum qualitatem peccati, de quo dubitat, si possit de rei veritate doceri, & non curet, certum est apud omnes: ita Vasquez, Thom. Sanchez. alique apud Ioan. Sanch. *d. 4. c. 1. n. 2*. quia qui dubitat, an hoc in his circumstantiis, sit peccatum, necne, & operatur, dubium non deponendo, videtur parum curare, an id, quod agit peccatum sit, necne, ergo elegit eam actionem indiscriminatim sive bonam, sive malam; ergo, quantum est ex se jam infestam malitia.

3. Dixi (in his circumstantiis) ut notarem nihil tibi nocere dubium aliquod speculativum, seu in genere; si non addit hic, & nunc prædictè, & proximè ad actionem Sic Valde, *p. 2. d. 6. c. 1. n. 2*. Th. Sanchez *lib. 2. de mat. c. 4. n. 3*. & in *dec. 1. c. 1. n. 10*. Ioan. Sanchez *d. disp. 4. 1. Potes*, v. g. dubitare, an labor re die festo sit licitum, atque hoc dubium est in genere speculativum: at non dubitabis, sed rectè estimabis. Modè tibi propter pauperitatem, licere laborem; quod est iudicium practicum, per quod rectè deponitur dubium illud in genere, quod alibi satis explicatum est.

Ut deponas ejusmodi dubium in genere, debere tibi aliquod affulgere, per quod tibi licet illud deponere, ut in casu dicto est pauperes, secus temere deponere: *supra* in simili dictum est §. 2. *n. 9*.

Sed quid facies, qui diligentiam apponere non valet ad deponendum dubium, vel ea posita, nihil invenit, quod dubium avertat? Respondeo tunc illud, quod est tutius, esse eligendum, pro hoc enim casu maxime ex illa regula *In dubiis tutior pars est eligenda, C. illud Dominus, de Clerico excom. c. Azot. p. 1. lib. 2. cap. 16*.

4. Sed quid, si quod tutius est, discernere nequeas, & ex alia parte urgeat opus faciendum? Dubitas, v. g. an in hoc die festivo, propter pauperitatem, laborare tibi sit concessum, nec habes qui te de veritate doceat, dum te interim fame torqueris; similiter si instent duo præcepta, v. g. audiendi Missam, & assistendi graviter ægrotanti, dubites autem quodam sit urgentius præceptum, carereque magistro, quid docere te possit, quid tibi faciendum?

Respondeo. Facias quod tibi magis expediens, in Domino, ex *c. duo mala, & dist. 1. & c. cap. Nervi testicularum*, attentis omnibus, videtur, quod si adhuc anceps fueris, fac illud quod tibi placuerit; cum enim non sit major ratio de uno, quam de altero, quandoque elegeris, ratum coram Deo erit. Quid si adhuc per ignorantiam putes, quodlibet, quod eligas, esse peccatum? Respondeo; Nullum tunc committi peccatum, dixi *supra*, §. 1. *n. 7*. & 8. Eadem Cast. *1. 1. n. 1. d. 3. p. 1. n. 7*. citans Thom. Sanch. Hæc in universum: ceterum ex mox dicendis multa

multa habebis, per quæ quod magis in similibus dubiis
eligere tibi liceat, expediat cognoscere.

Explicatur illa Regula: In dubiis melior est
conditio possidentis.

In materia Iustitiæ.

5. Commis doctrina resolvit dubitantem, utrum
res sit sua an aliena, si facta morali diligentia, dubium
evincere nequeat, tunc statim pro possidente bona fide,
illamque alienare posse, consumere, &c. juxta regulam
ab omnibus receptam: In dubiis melior est conditio possi-
dentis. Vide Ioan. Sanch. d. 43. n. 12. aliosque citatos pas-
sim apud Dianam p. 4. tr. 3. n. 32. Ratio præcipua sit, quia
possidens habet duos titulos, unum dubium, eundemque
valde exitum, id est, suspensionem an rei proprietatis ad se
pertineat, & in hoc convenit cum alio non possidente, ut
supponimus: alterum verum, & sine controversia, id est,
certitudinem, quia possidet, quo titulo jam alter caret;
ergo ipse possidens semper prævalebit. Vide quæ in hanc
rem dicenda sunt infra, §. 7. v. Restitutio, & v. Furtum, &
c. Damnum.

6. Si forte rem à te sic possessam alicui vendas, pri-
mo monere de dubio eumentem debes; ita Ioan. Sanch.
lib. 1. cap. 1. p. 1. n. 13. licet enim vendas rem
tuam secundum præsentem iustitiam, subest tamen pe-
riculum, ne certo tempore domino, redemptor amit-
tat. Secundo debes vendere minoris, quia vendis rem
conteratam timore, ne appareat dominus, quinque sibi ven-
dicet. Si tamen moraliter es certus dominum non com-
paritum, ab utroque onere liberaberis, quia ea certitu-
dine morali posita, nihil damni cecidit ementi.

7. Quid in dubio sit melior conditio possidentis, ve-
rum est, etiam si magis propendat ad putandum, seu (ut
rectè aliqui loquuntur) ad suspicandum rem ad alium
non possidentem pertinere; modò hæc propensio (quia
valicet sit ex levi ratione) sistat juxta limites dubij. Ita
Valquez, Salas, Thom. Sanch. c. 1. Castro Palcos citante
t. 1. n. 1. d. 3. p. 2. n. 11. Ratio est, quia certa possessio præ-
ponderat rationi cuique, quæ sit intra terminos dubij.

Quod sit ratio transeat ad probabile: non possidenti
danda res est, à Iudice: non autem autoritate propria
potest illius possidentem spoliare, quia ad dictum spo-
lium à privato intentandum contra possidentem, requi-
ritur certitudo moralis, ut ex dictis de opinione proba-
bili constat.

8. Illa tamen æquivocatio est hic fugienda. Si enim,
v. g. certus sis te debere centum Paulo, dubitas autem,
An illa ei solveris; quamvis tu dictum centum possideas,
non propterea eximeris ab eis solvendis, ita Sanch. uter-
que Sanch. alique apud Dianam p. 3. tr. 3. ref. 3. Ratio est,
quia nunc contra tuam possessionem pecuniæ prævallet
possessio actionis debiti, quam Paulus habet contra te:
certum enim est quod debeas, dubium quod solveris;
ergo debitum, seu actio debiti contra te prævalet.

9. Id quod in materia iustitiæ verum est, ex Merola
t. 1. d. 3. c. 3. n. 65. etiam si non solum debitor, sed cre-
ditor dubitet, nam debito sit satis factum (quidquid
alij cum Tanner. 1. 2. dist. 1. q. 6. d. 4. n. 49. sentiant) nam
semper vincit certitudo debiti: Layman l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4.
n. 42. quem sequitur Dian. l. c. (certè non improbabili-
ter) putat tunc satisfieri, si solvatur pars juxta quanti-
tatem, & proportionem dubij, quia æquitas non paritur,
ut debitor exponatur periculo solvendis bis. Probabili-
ter quidem, sed adhuc contra Layman dici posset, nec
æquitatem pati, ut creditor certo exponatur periculo, ne
sibi totum, sed solum pars solvatur. De hac re iterum re-
dibit sermo §. 7. v. Restitutio: ubi multa hac pertinen-
cia congruemus.

In aliis materiis à Iustitiæ.

10. Quamvis aliqui negaverint, ut Sotus in 4. de
Par. 1.

iustitia, quæst. 5. art. ultim. versus finem, Arag. 2. 2. q. 62.
art. 1. tract. de domino. Iam hodie probabilissimum est
etiam in alijs materijs, verbi gratia, Religione, Obe-
dientia, Temperantia, &c. meliorem esse conditionem
possidentis. Sic Thom. Sanch. lib. 2. matrim. d. 41. n. 32.
& lib. 4. in Dec. cap. 10. num. 11. sine, alique. Est certus,
verbi gratia, Sacerdos quod confingatur præcepto sive
Obedientiæ, sive Religionis de recitandis horis, du-
bium autem an recitaverit, dico, quia certa est obliga-
tio, dubia recitatio, meliorem fore conditionem præ-
cepti, quod veluti habet possessionem obligandi Sacer-
dotem: æque adeo Sacerdotem obligari ad recitandum.
Ratio est eadem, quæ dicta est, num. 5. hic proportionali-
ter applicanda.

11. Illud igitur solum, & quidem difficile hic expli-
candum est, ex quibusnam conjecturis, seu quæ ratione
mihi constare poterit, ex qua parte sit possessio. Quid-
quid autem alij, ut Sotus lib. 7. de iustitia, quæst. 3. art. 2.
Thom. Sanch. lib. 1. in Dec. cap. 10. num. 13. asserant, qui
quidem regulam generalem dare, quamvis velint, non
possunt: dico debere in varijs materijs vario modo
rem definiti: nam propterea quia interdum in pluribus
materijs Doctores discrepant, ex qua parte se teneat
possessio, ideò discrepant in resolutionibus; id in exem-
plis tum pro materia iustitiæ, tum pro alijs materijs, quæ
subdam, apparebit.

§. VII. Percurruntur ea in quorum dubio prævalet possessio.

O perosum id ita est, & prolixum (quippe per om-
nes ferè materias est percurrendum,) ut integrum
merito volumen exposcat. Satagam tamen per Alpha-
beti ordinem, quo facilitati legentium consulam, ea
quæ solent passim occurrere ad compendium ratio mor-
re, conferre: Prosper aspice Deus. Neque memini con-
trarium esse suspiceris, qui fortè animadvertat me in-
terdum aliquam sententiam approbare, quam alias non
sum amplexus; id enim tunc solum facio, quando utra-
que sententia probabilis à me iudicatur, quod non est
mihi adversari, sed docere potius sententias illas posse ad
libitum tunc excipi.

A

Abortus. Vide v. Casus & Confusio reservate, & verb.
Irregularitas.

Abolutio à peccatis, à censuris, ab irregularitate
Vide ibid. & v. Confessio.

Abolutio ab hæresi dubia. Vide v. Hæresis Ab hæresi
dubie externa. Vide infra, lib. 2. cap. 1. §. 8. n. 4.

Actor. Vide v. Lis movenda.

1. Advocatus. An is possit patrocinari, in causa
dubia, concedum aliqui, alij negant, alij denique
distingunt inter causam civilem, & criminalem: ego
breviter sic statuo. Si Advocatus prævidet rem licet
non possit evinci, posse tamen, saltem semiplenè pro
suo cliente probari, & universum si advertit, causam
dubiam esse, & controversiam, potest ejusmodi causis
patrocinari, quia hujus generis cause in Republica uti-
liter agitantur, & posita ea probabili spe, non impru-
denter Advocatus se gerit. Ita apud Layman lib. 1. tra-
ctat. 1. cap. 5. §. 3. numero 17. Vide §. præcedentem §. nume-
ro 14. ubi monendum esse clientem diximus: nam id
multò magis hic esse faciendum adverteo. At si nihil
speret, non poterit initio; Solum poterit inceptam cau-
sam, in uno dumtaxat casu, defendere, quando nimi-
rum sit periculum, ne Actor, qui est ejus cliens, pœna
talionis puniatur; rationabile enim videtur, ut non reji-
ciatur ab Advocato cliens, si defendi in hoc eumque
potest.

2. Si actor (velit nolit Advocatus) accusare velit,
vel jam accusaverit, tamen nullum jus videatur habe-
re; posse illi Advocatum patrocinari, sentit Caramuel
lib. 3.